



Venerabili Fratri Nostro

VALTHERO S.R.E. Cardinali KASPER

Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam Praesidi Emerito

Proximi mensis Iunii die decimo septimo tu, Venerabilis Frater Noster, ut bene novimus, quintam et vicesimam anniversariam memoriam celebrabis episcopalis tuae ordinationis. Laetanter sane cum Beata Virgine Maria palam confiteberis: “Magnificat anima mea Dominum... quia fecit mihi magna qui potens est” (*Lc* 1,46.49). Nos autem iucundo illo die hasce per Litteras veluti praesentes tibi adesse cupimus, ut diuturnum ac fructuosum tuum ministerium tibi gratulemur.

Multa profecto sunt hic commemoranda, quae tum ad spiritalem vitam tuam tum ad presbyterale et episcopale ministerium pertinent. Studiis philosophicis et theologicis peractis, anno MCMLVII sacerdotali insignitus es ordinatione. Inde, laurea in theologia adepta, docuisti apud studiorum universitates Monasteriensem et Tubingensem.

Anno MCMLXXXIX Episcopus nominatus es Rottenburgensis-Stutgardiensis dioecesis, quam decem per annos actuose moderatus es, veritatem in caritate quaerens dialogumque fraternum in reconciliata Natione tua fovens. Anno MCMXCIX sanctus Ioannes Paulus II vocavit te Romam et Secretarium



constituit Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam, cuius duos post annos factus es Praeses, eodem fere tempore ad cardinalitiam dignitatem evectus tituloque ornatus Romanae ecclesiae Omnium Sanctorum in Via Appia Nova.

Veneratorum profecto Decessorum Nostrorum fidus ac aestimatus cooperator, insigne studium impendisti ad necessitudinem cum aliis fratribus christianis alendam et augendam, ne tamen aliqua pars negetur catholicae fidei, quae maximum thesaurum constituit per Apostolorum doctrinam et summum Ecclesiae Magisterium nobis datum a Domino nostro Iesu Christo, qui verus Deus est et homo.

Nos Ipsi quoque magni existimamus opus tuum universali Ecclesiae dicatum. Etenim iam anno MCMLXXXV Secretarius Specialis constitutus es II Coetus Generalis Extraordinarii Synodi Episcoporum. Deinde, sive uti Episcopus sive uti Cardinalis, Congregationes et alia Dicasteria Romanae Curiae validis iuvisti consiliis.

Gratiae insuper sunt Domino reddendae de tua fidei testificatione, de pastoralis erga Dei populum cura, de tua theologiae contemplativae facultate, quae effecerunt ut serenus theologicus tuus cursus ex studio, investigatione, precibus evolveretur. Fraternaliter exinde ex animo pro tuo in Ecclesiam amore grates agimus.

Te igitur, Venerabilis Frater Noster, faustum Episcopatus celebrantem argenteum iubilaeum intercessionibus Deiparae Immaculatae Virginis Mariae et sancti Ioannis Pauli II commendamus et abundantes divinas gratias et consolationes tibi exoptulamus. Dum autem pro Nostro gravi officio congrue exercendo preces tuas humiliter petimus, Benedictionem Apostolicam, benevolentiae Nostrae testem, tibi ex corde impertimur, quam pertinere volumus ad iubilare laetitiae tuae participes omnesque quos caros habes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXI mensis Maii, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

Franciscus